DE COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS PELTZER
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
F. NEBE, MED. ET CHIR. DR.
B. VAHLE, MED. ET CHIR. DR.
H. BITTER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE COLICA SATURNINA.

Colicam saturninam illum vocamus statum morbosum, cujus maximae propriae notae dicuntur spastici dolores certo tempore recurrentes aut saltem remittentes in regione umbilicali, vel secundum intestinum colon. Quorum quidem dolorum causa quum diversissima esse possit, semper etiam hic morbus ex causis descriptus et nuncupatus est.

Illa species, quam nos descripturi sumus, ideo colica saturnina appellatur, quod causa nihil est nisi plumbum, quod aliqua via atque ratione in organismum venit; quae quidem tum in organismo fiunt, varia sunt, ut organa quaeque diversa, in quae plumbum vim suam perniciosam exercet. Si organa abdominalia afficiuntur, illa morbi species exoritur, cui soli colicae saturninae nomen convenit. Haud raro medullam tantum spinalem aut cerebrum affectum esse, signa pathognomonica indicant; quae quidem affectiones ab omnibus fere scriptoribus colicae saturninae subjiciebantur, ejusque sequelae

ducebantur. Tanquerel des Planches [1]) vero primus fuit, qui, animo multos per annos hunc in morbum contemplandum converso, probavit, medullae spinali et cerebro praeter originem nihil commune esse, atque utriusque integritatem ac soliditatem reperiri posse. Varia autem nobis symptomata occurrunt, quae e medulla spinali aegrotanti pendent; interdum dolores vehementissimi, lacerantes, pungentes in artubus exstant, qui interdum crescunt, semper pressu minuuntur et praesertim extremitates superiores occupant. Partes, quae afficiuntur, haud minimum rubefactae aut tumefactae, plus minusve impediuntur, quominus munere suo fungantur. Tanq. des Planches, quem virum doctissimum nobilissimumque nos, quum pro viribus, quas adhuc tenuissimas esse profitemur, haud multum novi afferre possimus, maxime sequamur, huic statui morboso nomen arthralgiae saturninae dedit. Nec raro motus voluntarius ex veneno Saturnino efficitur, et quidem aut difficilior tantum redditur, aut suspenditur, quae affectio praesertim extremitates superiores petit, alias autem corporis partes vel raro, vel nunquam solas sanisque brachiis. Nomina huic affectioni plurima data sunt, ut paralysis saturnina, metallica, pictonum, tabes metallica, metallurgorum etc. — Interdum sensibilitatem pati symptomata indicant, quae affectio, ab Tanq. des Planches anaesthesis saturnina vocata, cutem externam partesque ei suppositas, aut organa sensuum aggredi potest. Deni-

---

[1]) **Traité des maladies de plomb ou Saturnines. 2. Vol. Paris 1839.**

que, veneno saturnino in cerebrum vim perniciosam exercente, deliria varii generis, convulsiones, spasmi, debilitas universa, hebetudo organorum sensuum, sopor, coma prodeunt, cui statui multa nomina, uti encephalopathia saturnina, dementia, insania, epilepsia saturnina, convulsiones saturninae tributa sunt.

Morbi historia.

Veterum scriptorum nemo nisi Hippocrates[1]) morbi, de quo scripturi sumus, mentionem fecit. Dicit maximus nostrae scientiae auctor: „qui circa fodinas versabatur (*ὁ ἐκ μετάλλων*), praecordia habebat contenta, lien magnus erat et alvus distenta, aliquantum indurata; inflatus erat, decolor," ubi quidem non plane constat, utrum *ὁ ἐκ μετάλλων* hominem significet in mineris occupatum, an quendam in loco tantum mineris inclyto degentem. Dioscorides Aetiusque morbos ex usu cerussae atque lithargyri exortos commemorant, qui cum nostro morbo omnino congruunt. Arabum potissimum Avicenna hujus generis multa prodidit, primusque intellexit, plumbum alia quoque via quam stomacho in organismum pervenire atque ita veneno interimere posse. Neque tamen ceteri scriptores neque poëtae quiddam ad hanc rem accuratius cognoscendam contulerunt usque ad Theophrastum Paracelsum, qui duos libros scripsit, quorum alter, morbos metallorum excoctoribus

---

[1]) **Epidem. IV. 20. ed. Foes.**

et in igne metallico operantibus proprios continens, rem nostram tangit. Hoc in libro causam morbi nostri in iis positam esse partibus putat, quae fodinis exhalantur, atque ex his quidem mercurium imprimis fumum efficere, quippe qui ex omnibus metallis, nec auro nec argento excepto, secedat. Illum quidem per pulmones et stomachum in organismum, atque adeo per nares in cerebrum illatum venenum infundere corpori.

Citois [1]), quamvis colicae saturninae ignoraret causam veram, symptomata tamen bene descripsit, quo auctore colicae saturninae saepe nomen Colik de Poitou inditum est. Agricola, Bernardus, Caesius, Caesalpinus, Ramazzini [2]) deinde in libris de morbis artificum conscriptis, malum nostrum tam leviter tangunt, ut parum utilitatis afferatur.

Stockhausen [3]) primus, natura atque vi morbi bene explicata, eum esse colicam probavit, quae vel plumbi fumo, vel particulis a plumbi praeparati secretis exoriatur, atque adeo pro illo rerum statu meliorem sanandi rationem iniit.

Quam quidem rationem Henkel [4]) secutus est, sed

---

[1]) Citois, De novo et populari apud Pictones dolore colico-bilioso diatriba. 1616.

[2]) Bern. Ramazzini opera medica, curata a Just. Radio. Tom. I. diatrib. de morbis artificum. Cap. VIII. de Pict. morbis.

[3]) Stockhausen, de Lithargyrii fumo noxio, morbifico ejusque metallico frequentiori morbo, vulgo dicto *Hütten-Katze*. Goselar. 1656.

[4]) Henkel, Von der Bergsucht und Hüttenkatze. Dresden 1745.

arsenicum vim plumbo similem in organismum habere putavit.

Tum plures de morbo nostro scripserunt, ex quibus Suchland, Siemens, Kochlatsch, Neumann, Hoffmann, praecipue autem de Haen [1]) commemoro. Praeter illos digni sunt, qui appellentur Goekel, Brunner, Camerarius, Jaegerschmid, Brand et Koenig [2]).

Priusquam autem ad nostrum descendimus saeculum, Stoll [3]) laudandus est, qui bene observati morbi imaginem quam accuratissimam expressit, atque opium sanitatem reducere retulit. Aetate recentiore Méral [4]), Andral [5]), multique alii, nuperrime vero Tanq. des Planches morbum nostrum diligentissime observarunt, atque multa et de natura morbi et de complicatione ac sanatione attulerunt, quae aestimatione dignissima sunt.

---

[1]) de Haen, De colica Pictonum. Hag. 1745. Rat. med. Tom. III.

[2]) Koenig, Casus aegroti colica Saturnina laborantis. Argentorati 1764.

[3]) P. II. rat. medend. in nosocomio practico. Vindobon. Nec minus aliis in locis.

[4]) F. Vet. Méral, Diss. sur la colique métallique. Par. 1803. — Traité de la colique métallique. Par. 1812.

[5]) Andral, Clin. méd. 3. édit. T. II.

Symptomatologia.

Morbus noster haud semper eodem modo apparet, interdum celeriter et ex inopinato incidit, plerumque autem prodromi eum praecedere solent, qui iidem maxime varii esse possunt. Plerumque jam diutius subcaeruleus color dentium gingivaeque, vel proprius quidam sapor oris, vel cutis flavide colorata. Quo propior ortus est, eo plures molestiae ingruunt, aegrotus afficitur sensu pressionis et gravitatis abdominis, lingua flavide obtegitur, cupiditas ciborum deminuitur, sitis est vehemens, alvus plus minusve subsistit, faeces sunt globatae, raro tantum constipationis locum diarrhoea tenet, neque tum diutius, quam morbus accenditur. Lotium rarius atque saepe cum difficultate mittitur. Aegroti saepe fiunt anxii morosique, somno tumultuoso perturbati, neque raro dormientes subsiliunt, pulsus paullulum mutatus, aliquanto durior et minor normali.

Quae difficultates sensim sensimque adaugentur, accedunt nausea, vomitus, amari acidique ructus, singultus. Qui quidem prodromi haud cuique ortui antecedunt, raro autem omnino desunt neque certo spatio terminantur.

Morbum procedentem si spectamus, haec nobis symptomata offeruntur, quorum duo prima maxime continua esse solent.

Dolores obtusi fiunt vehementiores, pungentes, contorquentes, constringentes, in regione umbilicali, unde

extenduntur in regionom lumbalem, dorsalem, pectus atque extremitates. Aegroti, qui doloribus plus minusve conficiuntur, inquieti sunt, inest in eorum vultu altum quoddam malum et maxima sollicitudo; alii brachia et crura jactant, alii in ventrem se collocant, alii lectulo contineri nequeunt, atque adeo eo dolores procedunt, ut aegroti mentis suae non sint compotes et viscera sibi evellere velint [1]. Qui quidem dolores, interjecto tempore quamvis haud imminuantur, tamen debiliores fiunt, quo facto quies apparet neque eadem tamen semper perfecta, sed serius ocius increscit denuo morbi impetus.

Horum dolorum quum maxima sit proprietas, aegroti libenter genu contracto cubant, atque adeo a sociis petunt, ut ventrem pedibus calcent. Raro autem atque plerumque tantum in morbo satis progresso venter pressum sentit. Pariter perpetuum est, quod alvus adstringitur, sed vario modo. Quo gravior enim morbus, eo difficilior venter, ita ut drastica ipsa hunc torporem haud tollant. Qua in re spatium varium est, nisi ars accedit, plerumque aliquot dierum; Suchland [2]) autem aegrotum aliquem quatuordecim dies alvum non reddidisse narrat. Faeces vero, quae mittuntur, sunt durae, exsiccatae, quasi combustae, ovium aut caprarum excrementis haud dissimiles.

Abdomen plerumque est contractum tensumque, et

---

[1]) Ipsi sensum se habere dicunt, ac si evulsa intestina contorquerentur. Stoll. rat. medend. T. II. p. 270.

[2]) Suchland, Dissert. de paralysi metallariorum.

saepe ita ut columnam vertebralem sentire, quin etiam cernere possis. Saepissime regio umbilicalis ita retenta est, ut fossa disco similis efficiatur, quod quidem ad totum quoque abdomen pertinere, vel in nonnullis aliis locis inveniri potest. Quum integumenta abdominis paroxysmo maximam nanciscantur duritiem, haud raro hic et sensu et visu durae eminentiae protuberantiaeque animadverti possunt, quae, a veteribus mobiles et inaequabiles tumores vocatae, morbo remittente evanescunt. Anus retracta et saepe ita contorta, ut vix calamus clysterii penetrare possit. Spasmus saepe etiam ad organa uropoëtica et genitalia pertinet, dolor existit pruriens, pungens, lotium non redditur, scrotum est corrugatum, testiculi in annulum abdominalem tracti. Organa digestionis plus minusve afficiuntur, ciborum appetitus plerumque deest, sitis magna, cavum oris aridum, lingua media leviter candide, interdum flavide obtecta, saepe arida et scissilis; interdum tamen accidit, ut nullo modo ab norma aberret. Dentes, gingivam rave colorata, jam supra memoravimus; incedit saepe nausea, vomitus subviridis, amarus, qui quidem saepe maxima cum difficultate fit.

Nonnunquam in tractu intestinorum multum gas evolvitur, quod non per anum, sed eructationibus excedit.

Respiratio difficilis, plerumque imperfecta et frequens, inprimis in colicae impetu. Saepe singultus adest, vox debilis, rauca, interdum perfecta existit aphonia. Pulsus raro normam superat, plerumque autem languescit, semper duritie quadam singulari, ita ut Stoll [1]) talem du-

---

[1]) Ratio medend. P. II. pag. 271 et 499.

ritiem se invenisse affirmet, qualem in nullo morbo, et arteriae, quasi chordae ferreae, aequabili motu et tardo vibranteque digitum feriant. Venaesectione instituta nihilo mollior redditur. Aortam abdominalem pulsantem per integumenta abdominis perbene sentire possumus. Febris vero abest, cutis saepe pallida, subflavida, arida plerumque calore non adaucto. Vires consumuntur, aegroti emacescunt. Cutis durescit, desquamatur, flavescit; apud nonnullos aegrotos apparent in dorso manus, in tibia atque artubus tubercula usque ad magnitudinem nucis avellanae, quae primum mollia, mobilia, dolorosa, deinde autem dura, immobilia sunt. Quae quamquam a multis critici abscessus putantur, hoc tamen neutiquam satis probatum est. Stoll et de Haen primi eorum mentionem fecerunt. Nec minus cerebri functiones laesae sunt; omnino apparet maxima sollicitudo et inquies, quae potissimum in paroxysmo adaugentur, in remissione quidem maximae lassitudini cedunt. Somnus pro impetus tempore varie perturbatur.

Complicationes.

Ex veneficio plumbeo colicam saturninam non solam exoriri jam initio diximus, quae quamvis frequentissime illo excitetur, tamen minime sola semper, sed plerumque conjuncta cum uno et altero morbo ex plumbo exorto prodit. Quae res quum ita sint, fieri potest, ut omnes illi morbi ad colicam saturninam accedant, aut antecedant, aut colica saturnina jam inclinata incedant.

Complicatur vel frequentissime colica saturnina cum arthralgia saturnina, deinde cum paralysi, rarius denique cum encephalopathia saturnina, id quod maxime ab Tanquerel des Planches probatum est, quippe qui inter 1217 casus colicam saturninam quingenties vicies quinquies cum arthralgia sat., sexagies quater cum paralysi sat., quinquagies quinquies cum encephalopathia sat. complicatam observavit.

Quacum colica sat. quum alii etiam morbi alius generis originisque conjungi possint, tamen eorum tantum mentionem facturi sumus, qui et ad morbum nostrum cognoscendum et sanandum haud parum momenti habent. Quorum e numero primum tenent locum inflammationes intestinorum, quae, ut quaeque collocata vehemensque est, modum morbi nostri plus minusve commutant atque animum medici in distinguendis his morbis non raro perturbant. Plerumque integumenta abdominis non tensa et retracta, sed abdomen vario modo propulsum cernimus. Dolores non exacerbantur, sed remittunt, pressu non minuuntur, sed augentur. Lingua sicca, rubra flavide, obducta, facies initio rubra, mox autem pallida et collapsa, lotium parcum, rubrum, turbidum, cutis persicca, calida. Pulsus plenus, magnus, celer. Huc accedit, ut hic status drasticis adhibitis non minuatur, sed augescat.

Non raro, imprimis aestivo tempore, ad colicam saturninam febris gastrica et praesertim gastrico-biliosa accedit, aegroti queruntur de frigore, quod celeriter calor sequitur. Organa digestionis afficiuntur, apparet anorexia, fastidium, nausea, vomituritio, borborygmi, lingua flavide contecta, sordida, tremula quando ex ore porri-

gitur, gustus amarus. Inest in praecordio sensus gravitatis et oppressionis, in regione epigastria dolores vehementes, pressu augescentes. Genae non raro perrubrae, sed ubi ad labiorum commissuram nariumque pinnas procurrunt, ruborem pallor excipit e flavo virescens; tremulus labii inferioris inter loquendum micatus; oculorum humidorum nitor quidam vix describendus.

Interdum etiam febris typhosa, putrida cum colica saturnina conjuncta reperitur. Item genius epidemius in nostro morbo magni est momenti.

Morbi decursus et exitus.

Morbi decursus minime semper idem, pro prodromorum enim diverso tempore, quod explent, crescit morbus ipse ac remittit, qui saepe usque ad acmen perpetuo crescit, haud raro tamen remittit diverso quidem spatio. Plerumque autem non ita diu in summo incremento est morbus; saepe unius diei atque adeo paucarum horarum spatio aegrotus tormentis terribilibus liberatur, qui per aliquod tantum tempus de parvis, periodicis abdominis doloribus queritur. Torpor tractus intestinorum disparet, faeces fiunt normales, abdomen duritiem et tensionem amittit, anus non uti antea spastice constricta, nausea et vomitus desinunt, item malus gustus et foeditas oris; eorum loco cibi cupiditas redditur, lotium majore quantitate atque facilius mittitur, pulsus ad normam redit. Aegroti vultus, cui antea maxima inerat tristitia,

exhilaratur, neque ei inhaeret lassitudo, inquietudo, anxietas, somno placido vires reficiuntur.

Tamen haud semper ita celeriter symptomata evanescunt, saepe jam remittente morbo gravissimi impetus incedunt, frequentissime variatur morbi status, nam qui impetus per multos dies, hebdomades atque adeo menses nulli fuerunt, majore cum vehementia resurgunt.

Haud minimi momenti sunt ceteri morbi plumbo excitati, quando cum colica saturnina conjunguntur, qua re maximae varietates observantur. — Arthralgia saturnina si simul cum colica saturnina invadit, hi quidem morbi non pariter crescunt, etenim increscente altero alter jam plerumque remittit. Sin autem non eodem tempore incedunt, plerumque etiam ille, qui prior adfuit, prius cedit; passim etiam fit ut alter altero accedente repellatur.

Paralysis saturnina plerumque colicae decurrenti sensim accedit, antea autem colica jam evanescere potest, ut paralysi locum relinquat, quae interdum tota exculta erat, priusquam colica saturnina incederet. — Encephalopathia saturnina raro simul cum colica saturnina apparet, plerumque tum demum, quando illa in summo est incremento, ubi affectio organorum abdominalium aut subito aut sensim sensimque evanescit, aut cedit una cum affectione cerebri, aut ejusdem superstes est.

Haud raro colica saturnina cum inflammationibus organorum abdominalium complicata est, quae omnibus temporibus incedere, vel jam antea adesse possunt.

Inflammatio prout collocata vehemensque est, diversam exercet vim in decurrentem colicam saturninam,

quae saepe, durante inflammatione minus conspicua, et sublata illa manifesta apparet. Saepe uterque morbus eodem tempore insignis est symptomatibus, qua complicatione semper fere decursus colicae saturninae retardatur.

Aetiologia.

Jam ab antiquissimis temporibus quamvis docti omnium virium contentione niterentur, ut nostri morbi naturam originemque cognoscerent, tamen, quum et physiologia nervorum et eorum pathologia minus exculta esset, certi quidquam reperire non potuerunt, neque nostris temporibus res illae penitus cognitae sunt. Neque mirandum igitur, quod tam diversa quum de nervorum morbis, tum imprimis de nostro sentiuntur. Quibus ex opinionibus quin nonnullas commemoremus, facere non possumus. Alii naturam morbi positam esse putarunt in statu inflammatorio tractus intestinorum, alii in paralysi specifica membranae muscularis ejusdem canalis; Astruc in liquore exsudato inter membranas medullae spinalis, qui irritatione nervorum e medulla spinali ortum ducentium dolorem excitaret. Quin Strack [1]) colicam saturninam eandem esse atque arthritidem putavit.

Quibus opinionibus ab omnibus fere desertis, plerique medici colicam saturninam neuralgiam nervorum abdominalium vi quadam specifica veneni saturnini exortam

---

[1]) **Arzneikundige Abhandlungen. T. I.**

existimant, quam quidem exaltationem sensibilitatis omnia symptomata pathognomonica significant. Omnibus in neuralgiis gravissimum symptoma dolor, propria quadam natura, cujus vehementia minime respondet illi irritationi, qua excitatus est; accessiones gravissimae fiunt, quarum intervalla diversissima; pressu dolor minuitur, cursum nervorum majorum sequi solet; denique curae sedativae alterantique morbus cedit.

Haec omnia primitivae colicae saturninae statui subesse animadvertimus, qua ex re, quidquid symptomatum apparet, deduci potest. Quaeque omnino neuralgia non fibris nervorum circumscripta est, in quas vis irritans exercetur. Impetu ipso aliae nervorum fibrae irritantur, quae ad sympathiam commotae phaenomena illa provocant, quae ad decurrentes neuralgias saepius accedunt. Quomodo exoritur durities et tensio musculorum abdominis, vehemens constrictio ani, accensus testiculorum versus annulum abdominalem, vomituritio, eructationes, singultus. Neque membrana muscularis tractus intestinorum restat intacta, sed spastica contractione impeditur, quominus munere suo fungatur. Qua quidem re constipatio pertinax efficitur, partim autem secretione quoque membranae mucosae tractus intestinorum vel perversa, vel minuta, vel suspensa. Eandem originem et affectio organorum respirationis et fluxus sanguinis retardatus habere videtur.

Irritatio ipsa, quae hanc neuralgiam excitat, i. e. causa remota morbi nostri est Saturnus, ut jam nomen ejus indicat, via et ratione aliqua in corpus illatus. Magna semper lis et dissensio inter viros doctos fuit,

quonam modo fieri possit, ut Saturnus in organismum inducatur, et quaenam ejus praeparata hanc vim exerceant perniciosam.

Quod ad primum spectat, medici veteres colicam saturninam tum tantum nasci posse censebant, quum plumbum in organa digestionis illatum esset; deinde autem exstiterunt, qui morbi originem ex absorptione hujus veneni per cutem externam deducerent, quod tamen a permultis medicis jure in dubium vocatur, qui, nisi cutis epidermide privata sit, veneficium hac via fieri posse negant. Neque autem hac ratione semper plumbum in organismum intrat, plerumque organa respiratoria venenum absorbentia corpori tradunt, id quod nostris temporibus ab omnibus probatum est.

Per longum temporis spatium colica saturnina non modo plumbo, sed etiam aliis effluviis mineris inhaerentibus, ut arsenico, cupro, antimonio, mercurio, id quod nullo modo experientia confirmatum est, quum morbi ex horum metallorum veneficio nati plane a nostro diversa praebeant symptomata. Primus docuit Henkel, plumbum solum aptum esse ad colicam saturninam provocandam.

Ex Citois tempore multa scripta sunt de colicae quodam genere, cui nonnullae gentes quum imprimis expositae essent, haecce nomina indita sunt: colica Pictonum, Damnonum etc. — Symptomata illius generis morbo nostro quam simillima erant. Originem ducere ista colica existimabatur ex nimio usu vini recentis, acidi, austeri, omnino ex acidis vegetabilibus, quare quoque nomen colicae vegetabilis accepit. Disquisitionibus deinde a viris doctissimis, inter quos maxime Baker, Tronchin, Lu-

zuriaga, Jacob, Hernandez appellandi sunt, institutis, demonstratum est huic morbo idem ac nostro venenum ansam praebere, eumque nihil aliud esse nisi meram colicam saturninam, natam e vino aliisque liquidis, vel per instrumenta plumbea praeparatis, vel in vasis plumbeis reservatis, vel fraude vitiatis.

Quae quum ita sint, morbi nostri originem nulli rei nisi plumbo tribuere possumus.

Quaenam Saturni praeparata ad colicam saturninam provocandam apta essent, semper magna medicorum erat contentio. Fuerunt, quibus sales tantum plumbi perniciosi esse viderentur, quam tamen vim perniciosam alii, mirabile dictu, plumbo tantum carbonico inesse contenderunt, omnia alia praeparata innoxia esse opinati. Plurimi autem nostrae aetatis viri doctissimi omnia, quae sunt plumbi praeparata colicam saturninam excitare posse dicunt.

Plumbum in totam sanguinis circulationem per absorptionem transire, supra jam meminimus, quod ut fiat, necesse est plumbum antea in liquidis solutum, aut subtilissime pulverisatum aut volatile factum sit. Hac solum via rationeque plumbum colicam saturninam provocare potest, qua re hoc veneficium praecipue diversum est ab acuto, ut ajunt, quod majore quantitate plumbi simul atque repente in corpus ingesta gignitur, quare quum uterque status praeterea valde diversa offerat symptomata, alterque re vera nihil aliud sit nisi gastroenteritis, de eo non agamus.

Ne a meta praefixa nimis aberremus, de illis tantum plumbi praeparatis hoc loco breviter disseramus, quae,

quum saepenumero formisque multigenis in oeconomia nobis occurrant, praesertim quod ad colicam saturninam pertinet extimescenda sunt.

Plumbum metallicum ipsum omni in organismum effectu carere videtur, sed quum inter omnia metalla vix ullum inveniatur, cui tanta sit affinitas cum oxygenio, non mirandum est, quod morbo nostro creberrime ansam praebet.

Ex plumbi connubio cum oxygenio quae sunt praeparata, in medicina saepissime ad emplastra componenda, in usu oeconomico praesertim ad vasa figulina obducenda adhibentur, qua re facillime haec praeparata veneficium saturninum excitare, permulta exempla docent. — Nec omittendum est plumbum carbonicum (s. cerussa), quod, quia non modo salium, sed etiam omnium praeparatorum plumbi est usitatissimum, frequentissima est causa colicarum saturninarum, haud raro endemiarum quod observationibus permultis ab Warren [1]), van Swieten, Tronchin, Wanstrootwyck [2]) factis probatur.

Quid igitur mirandum, si pictores, figuli, politores, tritores colorum, pharmaceutae, omnesque plumbum varia ratione tractantes saepissime hoc morbo afficiantur?

---

[1]) Warren in Lond. med. Transact. Vol. II.

[2]) Wanstrootwyck, De l'électricité médicale appliquée à la médecine.

Diagnosis.

Magna est copia morborum et dolorum, qui magnam cum nostro morbo habent similitudinem, itaque facile cum eo confundi possunt. Quamobrem in nostro morbo quam maxime contendendum laborandumque est, ut exacte quaeramus et ne minimum quidem, quod ad morbum spectat, omittamus: hac enim sola ratione prohibere possumus, ne morbum graviorem leviorem ducentes, aut alium omnino supponentes curationem ineptam vel irritam instituamus. Colicae saturninae haec nobis signa maxime notanda praebentur, quibus bene cognitis, alium quendam esse morbum putare nobis non licet: dolor et vehementia et sede sua varia proprius, pressu minuendus, pertinax alvi abstipatio, abdomen tensum et retractum, pulsuum durities venaesectionibus institutis non cedens, gingivae et dentium color quidam cineraceus. Quae symptomata si aut universa aut complura, cum propria illa combinatione et decursu, de quibus in symptomatologia disseruimus, conjuncta nobis occurrunt, persuasum habere possumus, illam colicam esse ex Saturno profectam, quod eo magis ad veritatem accedit, si ex anamnesi elucet, aegrotum in opere saturnino occupatum esse, aut quadam alia ratione cum plumbo in communicationem venisse. Praecipue in nostro morbo anamnesis accuratissime instituta maximi est momenti, qua sola interdum morbum certe dignoscere possumus. Semper inquirendum est, num plumbum in corpus aegrotantis

sit illatum, explorandi igitur cibi, potus et quidquid in aegroti quotidiano est usu, praesertim quando complures homines unius familiae, hospitii etc. aegrotant: quod si veteres medici secuti essent, non alias res quam plumbum ad provocandam colicam saturninam aptas esse contendissent.

Aliud quoque metallum colicam procreare potest, dico cuprum, sed valde a nostro morbo signa discrepant. Dolor in colica ex cupro profecta totum abdomen occupat, et tantum abest, ut pressu minuatur, ut augeatur; abdomen ipsum molle et plus minusve inflatum est, haud raro constipatio, ut in colica saturnina diarrhoea adest, itemque se habent vomitus et nausea. Inter alia quoque symptomata, quae uterque status exhibet, plus minusve differentiae observatur, sed tamen haec omittamus, quum si enarrata accurate diligenterque respicimus, fieri non possit, ut hos morbos confundamus.

Necropsia.

In cadaveribus secandis eorum, qui colicae saturninae succubuerunt, omnia organa in statu normali plerumque reperta sunt. Nonnulli quidem scriptores statum inflammatorium tractus intestinorum se invenisse dixerunt, quem nostro tempore a viris anatomiae pathologicae peritissimis nulla re alia quam inflammatione cum colica saturnina conjuncta oriri posse demonstratum est. Andral, pluries cadaveribus ad rem nostram illustrandam

accuratissime dissectis, plerumque totum tractum intestinorum normalem vidit; in alio injectio levis membranae mucosae tractus intestinorum, in alio membrana ventriculi intima emollita, in alio color quidam cineraceus portionis pyloricae ventriculi conspicua erat. Tanq. des Planches in nonnullis cadaveribus glandulas Brunneri et interdum quoque glandulas Peyeri, pluries tractum intestinorum conglobatum et compressum invenit, ita ut contendi possit, nullam mutationem constantem in colica saturnina inveniri, id quod a viris doctissimis nostrae aetatis conceditur.

Prognosis.

Ut gravissima interdum sint symptomata, tamen colica saturnina rarissime suopte ingenio mortifera est; arte recte ingrediente plerumque nonnullos post dies atque adeo prius cedere solet. Tamen caveas, ne malum hoc nimis parvum putes, nam facillime, ut jam antea memoravimus, alii morbi ei accedunt, quibus praesagium dubium atque adeo infaustissimum fieri potest. Primum, quod ad hoc attinet, locum tenent paralysis et encephalopathia saturnina, quibus accedentibus haud raro aegrotum maximo in discrimine versari observamus. Inter alios morbos, quos cum colica saturnina inveniri jam diximus, maxime extimescendae sunt febris gastrica ac praesertim inflammatio viscerum abdominalium, quae, quum crebro exitum lethalem habeant, minime omen

bonum admittunt. — Si jam antea aegrotus veneficio Saturnino laboravit, res nostra non ita laeta; multum quoque valet tempus, per quod plumbum vim suam perniciosam in corpus exercuit; item prognosis non optima est, si haec vis non est sublata, aut tolli non potest.

Therapia.

Therapiae non modo officium est morbum exortum sanandi, sed etiam, quatenus fieri potest, prohibendi, quominus nascatur. Quare opus est, homines, qui plumbum aliqua ratione tractare coguntur, semper munditiam magnam observare, aliquid, antequam ad opus consuetum aggrediantur, comedere neque nimis spirituosis uti. Nonnulli suadent, ut diligenter salivam exspuant, saepius os aqua perluant, cibos oleosos, pingues sumant; alii commendant spongias ante os et nares applicandas, aliis aquam vitae, pipam, balnea laudantibus. Quae omnia consilia si sequuntur, plus minusve veneficium saturninum prohibent.

Morbo exorto, quid faciendum esset, plurimae scriptorum semper fuerunt opiniones, quum de morbi natura ipsa non unum idemque existimarent. Ut diversis in rebus morbi naturam collocabant, sic rationem medendi adhibuerunt medici diversam. Qui in statu inflammatorio illam positam esse judicabant, methodo antiphlogistica usi sunt, quae praesertim ab Haen laudatur. Cum sanguinis depletione, aut hirudinibus abdomini ap-

plicatis, aut V. S. instituta, potus refrigerantes, purgantia vel clysteria emollientia, ventriflua conjungebant. Tamen haec medendi ratio ad morbum nostrum tollendum nihil valet, et tantum, si inflammatio simul adest, praemittendam eam esse nunc inter omnes constat. Alii porrexerunt emetica pro vomitu et materiis vomitis. Longum autem est, alias quoque, quae commendatae sunt, rationes enumerare, nec operae pretium, quum nostris temporibus fere omnes sint relictae.

Naturam colicae saturninae in irritatione nervorum abdominalium, vi specifica veneni saturnini exorta, sitam esse supra vidimus, quam irritationem, ut citissime tollamus, indicatio est princeps maximeque urgens. Quam ad exsequendam plurima a medicis commendata sunt remedia, ex quibus tamen illa modo enarrem, quae experientia permagna probata, frequentissime in usum veniunt.

Primum hic locum opium, dosibus largis et frequenter repetitis porrectum, tenere nunc inter omnes fere medicos constat; Stoll ille praesertim hoc remedio usus est, neque parvum aegrotorum numerum eo restituit neque possumus mixturam illam, qua usus est non proferre:

Rp. Opii puri
Camphor. *ᾱᾱ* gr. x
Extr. flor. Chamom. ʒj
Aq. flor. Chamom. ℥vj
Syr. flor. Chamom. ℥jβ

MDS. Sumat aegrotus omni quarta hora sextam partem, donec omnia inter viginti quatuor horas sint adsumpta.

Interdum dosin opii adaugebat, ita ut semel aegrotum, colica vehementissima et vomitu laborantem, una nocte tredecim grana opii cum emolumento sumsisse narret. Non mirandum est, opium ad tollendam constipationem nostro in morbo tantum valere, quum haec, ut jam vidimus, ex spasmo tractus intestinorum maximam partem provocata sit. Permulti alii quoque medici opio aut puro, aut cum calomelane, aliis vel oleis purgantibus conjuncto, magno cum successu utuntur. Morphium quoque nonnullis salutiferum erat. Stokes clysteria ex foliis nicotian., Ranque belladonnam et externe et interne applicat, Serres tinct. nucis vomic. commendat, quibus remediis balnea calida, fomentationes, frictiones et potus mucilaginosi adjunguntur.

Jam longo ex tempore nostro in morbo adhibita sunt purgantia, quorum e numero oleum crotonis dignissimum est, quod laudetur. Omnes tamen viri, qui id commendant, nullo modo impendi velint statu quodam inflammatorio tractus intestinorum ineunte. Detur gtt. j p. d. soluta in ℥j ol. papav. s. olivar., cochlear omni hora usque ad effectum.

Romberg, primum oleo croton., deinde constipatione sublata opio utitur; Copland cum ol. ricini, vel ol. terebinth. conjunctum adhibet.

Praeterea saepe ol. ricini, ol. terebinth., calomelas, infus. sennae in usum veniunt.

Permulti alumini vim specificam ad tollendum morbum nostrum concedunt. Acida, alcalia carbonica plurimaque alia remedia plus minusve praedicata sunt. In hospitio caritatis Parisiensi medendi ratio instituitur, quae,

quamvis nimis composita esse videatur, tamen eventu gaudet laetissimo.

Colica saturnina cum alio quodam morbo complicata, necesse est, curandi rationem ad naturam horum morborum aptam adhibeamus.

VITA.

Natus sum Josephus Peltzer die XXI. mensis Martii a. MDCCCXXI pago Weiden prope Aquisgranum sito, patre Josepho, quem jam ex longo tempore inexorabili morte ereptum lugeo, matre Catharina e gente Reuther, quam adhuc vivam veneror. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Aquisgranense, quod sub spectatissimi Dr. Schoen auspiciis adhuc laete floret, per octo annos frequentavi. Autumnali tempore anni hujus saeculi XLII, testimonio maturitatis munitus, in almam litterarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam me contuli, cujus civibus a Rectore magnifico Ill. A. Naumann adscriptus, apud Ill. Mayer, decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum, nomen professus sum.

Bonnae per tres annos et dimidium hasce scholas frequentavi:

Logicen et psychologiam Ill. van Calker;
physicen experimentalem Ill. Plücker;
botanicen Ill. Treviranus;
chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam Ill. G. Bischof;

THESES.

1. Cura symptomatica interdum etiam medico permissa.
2. Dilatatio orificii uterini optima methodus est partus praematuri provocandi.
3. Diabetae medendi nulla cura certa.
4. In conditione sana uterus vagina tantum sursum tenetur.
5. Abortum numquam arte provocare licet.